

1204 que, quod maxime optabat, consecutus, ut inconditis vocibus pars una populi eum urbis præfectum, altera copiarum ducem, tertia Imperatorem declararit. Secundum eam acclamationem satellitum necessiorumque gratulantium caterva stipatus, in Isachi ædes sese proripuit, & Alexium puerum, quem veneno dato occultiore mortis genere confidere non potuerat, eliso gutture, propria manu necavit. Tumultu deinde sedato, ingentibusque copiis contractis, primo Gallos Venetosque armis pellere constituit: inde ad partes suas firmandas omnes Alexii amicos tollere. Hæc quum in animum induxisset, cum omnibus copiis repente ex urbe egressus, aciem quam in hostem erat explicaturus, ita construxit, ut in prima fronte Sacerdotes iconas manibus habentes locati essent, qui pugnam inituri carmina quædam divina canerent. Id ne ad incutiendam hosti religionem, an quia a divinis prælium orsi ad victoriam pertinere putarit, incompertum habeo. Forte impetus in Flandrensis Comitis stationes primo est factus. Is ut impiger, invictoque semper animo, cum paucis occurrentis, tamdiu fanaticum Græcorum impetum sustinuit, quoad primum armata legio, inde reliquæ copiæ affuere. Memento itaque temporis non solum æquata est pugna, sed territa quoque hostium acie, vietus Myrtilus trepide se in urbem recepit. In eum cedentem adeo violenta a nostris impressio facta est, ut parum abfuerit, quin ipse cum tota multitudine sit sub ipsis mœnibus interceptus. Virginis iconem Græcis ademptam, in bonum omen Itali Gallique vertere, rati certam ex eo portendi victoriam, quod signum non parvi Numinis a Græcis ad se transivisset. Res inde in consultationem venit, esset ne oppugnandus cum urbe scelestissimus Alexius. Constituit inter omnes, fas piisque videri, nefarium hominem tollere, qui se non solum indigna cæde polluisset, sed scelere quoque imperium sibi ob pactam mercedem oppignoratum occupasset. Fœdus inter Venetos Gallosque denuo est iustum: in quo ita est expressum, ut ipsius urbis, locorum, rerumque omnium, quas armis ex Constantinopolitano Imperio capturi essent, dimi-